

Solvuntur objectiones contra 5. Conclusionem.

Obj. 1. cum Henno. Florentinum, & Trid. eodem modo loquuntur de satisfactione, ac de contritione, & confessione; atqui satisfactio non est pars essentialis: ergo. R. 1. Retorqueo argumentum: atqui satisfactio est pars integralis, fatente objicente: ergo etiam contritio, & confessio: ergo iterum non sunt materia extrinseca, ut pretendit. 2. Verba Conciliorum sunt intelligenda secundum subjectam materiam: ita quod hi tres actus sint partes materiales Poenitentiae, ea modo quo esse possunt. Certum est autem, satisfactionem in re, quae supponit Sacramentum ejus essentialiter constitutum, non posse esse partem ejus essentialiam; sed contritio, & confessio, quae formam Sacramenti praecedunt.

Inst. Trid. sess. 14. cap. 4. docet, contritionem esse dispositionem ad Sacramentum cum fructu suscipiendum: ergo non est pars intrinseca illius. R. D. Ant. Est dispositio ad Sacramentum inadquate sumptum pro absolutione, C. ad hunc enim cum fructu suscipiendum disponit; ad Sacramentum adquate sumptum pro composito ex materia, & forma, N. Sacramentum enim sic sumpti est pars intrinseca, & essentialis. Est itaque dispositio, & pars ejusdem, diverso modo sumpti.

Obj. 2. cum eodem. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos; atqui Sacerdos ponit solam absolutionem: ergo tota hujus Sacramenti essentia est sola absolutio: alias non esset Minister Sacramenti, sed tantum partis illius. R. 1. retorqueo argumentum: ergo tota Sacramenti integritas est absolutio: alias non esset Minister integri Sacramenti, sed tantum partis illius. Illatio autem est contra objicentem, qui admittit actus Poenitentiae esse partes integrantes hujus Sacramenti. 2. N. Cons. Quia is dicitur Minister, causa, Auctor alicujus compositi, non solum qui totum compositum producit, sed qui, vel materiam, vel formam, vel utriusque unionem efficit tantum. Sic ignis dicitur generare ignem, licet materiam non producat: sic homo dicitur generare hominem, licet formam, animam scilicet, non efficiat: sic latomus dicitur efficiere album, licet, nec parietem, nec albedinem efficiat, sed utrumque tantum conjugat: Sacerdos autem formam efficit, qua materia perficitur, & determinatur ad esse sacramentale, eamque materiam applicat, & unit; & hac ratione dicitur Sacramenti Minister.

Obj. 3. cum eodem. Minister hujus Sacramenti, quod ponit totum effectum Sacramenti; atqui id facit absolutio: ergo. Prob. Min. Sacramenta id causant, quod significant; atqui absolutio significat peccatorum remissionem, quae est effectus Sacramenti: ergo. R. D. Min. Id facit absolutio sola, N. absolutio cum aliis partibus, C. Ad Prob. similiter D. Min. Sola absolutio significat remissionem peccatorum, N. absolutio, & actus Poenitentiae, C. Quamvis ergo clarius significetur remissio peccatorum per absolutionem, & ideo est forma, eam tamen etiam suo modo significant actus poenitentiae. Contritio exterius expressa significat cor immutatum: confessio peccata manifestando significat ea excludi: denique satisfactio significat poenae remissionem: siquae totum aggregatum ex his actibus, & absolutione significat ex institutione Christi effectum Sacramenti.

Inferes cum eodem: ergo poenitens potest dici sibi gratiam conferre, sibi peccata remittere, & se ipsum absolvere, quod non est actus rei, sed iudicis. R. N. Illationem; quia actus poenitentiae non causant gratiam, ut sunt a poenitente, sed ut elevatur a Deo ad rationem Sacramenti. Unde dici non potest, quod poenitens sibi conferat gratiam, sibi peccata remittat, se justifyet, nisi valde improprie, & ad modum cujusdam instrumenti, non vero ut Minister Sacramenti. Sit paritas in Sacramento Ordinis. Contactus instrumentorum ab ordinando est pars essentialis hujus Sacramenti, ut nunc suppono, non tamen ideo dicitur ordinandus proprie sibi conferre gratiam Sacramenti. Nullo autem sensu dici potest, quod poenitens se ipsum absolvat; quia absolvere non est cooperari productioni gratiae per modum instrumenti, sed per modum iudicis, quod convenit Sacerdoti respectu poenitentiae, non poenitenti respectu sui.

Inst. In aliis Sacramentis productio gratiae tribuitur non solum formae, sed etiam materiae, ut in Baptismo, aquae; in Confirmatione, Chrismationi: ergo, si poenitens ponat Sacramenti materiam, dici potest sibi conferre gratiam. R. D. Cons. ut ante. Potest dici sibi conferre gratiam improprie, & per modum instrumenti a Deo elevati, C. ut Minister Sacramenti, & ad modum iudicis, N.

Obj. 4. cum eodem. Hoc Sacramentum est institutum per modum iudicis; atqui iudicium tantum importat principaliter sententiam iudicis absolventis, reliqua autem tantum connotat, ut praerequisita ad iustam sententiam; ergo. Prob. Maj. ex Trid. sess. 14. cap. 6 ubi declarat, absolutionem Sacerdotis esse Ad iustarum actus iudicialis, quo ab ipso velut a iudice sententia pronuntietur. Ex quo paulo infra inferet objiciens, hoc Sa-

cramentum, licet praesupponat in poenitente dolorem, & declarationem peccatorum, illam tamen non magis importare, quam peccata. R. 1. hunc Theologum hoc argumento Tridentino, & sibi aperte contradicere: Tridentino, quod expressè declarat hos actus esse partes Sacramenti: Sibi, qui, ut vidimus supra, fatetur esse etiam illius partes, saltem integrantes: quod sane dici non potest de simpliciter praesuppositis, nec a fortiori de peccatis. Insuper, ut dixi in Confirmatione conclusionis, compensatio offensae, quae fit in hoc Sacramento, non est praesens ad arbitrium iudicis, ut in iudicio forensi, secundum voluntatem offendentiis, & offensi, quod necessario importat actus poenitentis, ut partes, proter probatum est. 2. N. Maj. Est enim hoc Sacramentum, si adquate sumatur pro materia, & forma, institutum non per modum iudicis, seu sententiae iudicialis, sed per modum processus iudicialis, quod importat accusationem, defensionem, & satisfactionem rei tanquam materiam, & sententiam iudicis tanquam formam. Quae autem profert Objiciens ex Trident. non probant contrarium; quia Concilium non loquitur de Sacramento adquate sumpto, sed de sola absolutione, seu sententia Sacerdotis, ut liquet ex textu.

Obj. 5. cum eodem Trid. sess. 14. c. 3. docet, vim hujus Sacramenti praecipue sitam esse in forma, quam reponit in verbis Sacerdotis; quod non dicit de aliis Sacramentis: ergo sola forma est de ejus essentia. R. N. Conseq. Imò contrarium sequitur ex Antecedente. Si enim in hoc Sacramento sit forma, est utique materia; non est enim forma sine materia; materia autem est essentialiter composita. Item, si vis posita est praecipue in forma, ergo minus praecipue in materia. Et quamvis id non dicat Concilium de aliis Sacramentis; ita est tamen, ut mox dicam, neque ex argumento negativo aliquid probatur.

Inst. Si actus poenitentis essent essentialiter, in illis aequè principaliter sita esset vis hujus Sacramenti: ergo. Prob. Ant. Efficacia habetur ab essentialibus; atqui nulla pars est magis essentialis altera: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Efficacia habetur ab essentialibus aequè principaliter, N. plus, vel minus principaliter, C. Cartum est enim, in omnibus compositis vim esse magis principaliter sitam in forma, tanquam in parte nobiliori, & totius perfectiva.

Obj. 6. Sacramentum est signum sensibile; atqui Contritio non est sensibilis: ergo. R. D. Min. Contritio non est sensibilis per se, C. per accidens, N. Est enim sensibilis per confessionem, & alia signa exteriora poenitentiae, quae profert poenitens.

Inferes: Ergo contritio est tantum pars Sacramenti per accidens. Prob. illatio. Eo modo aliquid est pars Sacramenti sensibilis, quo est sensibile; atqui contritio est tantum sensibilis per accidens: ergo. R. N. Illationem. Ad Prob. D. Ant. Eo modo aliquid est pars Sacramenti, quo est sensibile per se, vel per accidens, C. Quo est sensibile per se tantum, N. Sic consensus in Matrimonio est tantum sensibilis per accidens, & tamen est per se pars Matrimonii: sic homo est aliquid totum sensibile, licet aliqua ejus pars, scilicet anima, sit tantum sensibilis per accidens.

Inst. Contritio non minus requiritur ad Baptismum in adultis, quam ad Poenitentiam; atqui non est ideo pars Baptismi: ergo. R. D. Maj. Contritio non minus requiritur ad Baptismum, quam ad Poenitentiam, & eodem modo, N. & diverso modo, C. In Baptismo requiritur ut dispositio; in Poenitentia ut pars. Hoc autem discrimen petitur ex ipsa voluntate Christi, qui in quibusdam Sacramentis, ut in Baptismo, Confirmatione, &c. pro materia constituit aliquam substantiam corporalem; in aliis, ut in Poenitentia, & Matrimonio, actus humanos. Cujus rationem congruam addit Auctor (Hic q. 84. art. 1. ad 2.) quod in illis Sacramentis, in quibus conferuntur excellentes gratiae, quae superabundat omnem facultatem actus humani, adhibetur aliqua corporalis materia exterius, sicut in Baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum, & quantum ad culpam, & quantum ad poenam; & in Confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus S. & in Extrema Unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis. Unde, si qui actus humani sint in talibus Sacramentis, non sunt de essentia Sacramentorum, sed dispositivè sed habent ad illa. In illis autem Sacramentis, quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiae, ut accidit in Poenitentia, & Matrimonio. Sicut etiam in medicinis corporalibus quaedam sunt res exterius adhibita, sicut emplastrum, & electuaria; quaedam vero sunt actus humani, puta, exercitatio- nes quaedam.

Obj. 7. potest administrari Sacramentum Poenitentiae absque confessione, ut moribundo subito obmutescenti, & sensibus destituto: ergo. R. 1. Hoc argumentum esse pariter solvendum a Scottis, qui dicit confessionem esse insuppelibilem requisitam. 2. D. Ant. Potest administrari Sacramentum Poenitentiae sine confessione formali, & explicita, C. sine confessione virtuali, & implicita, N. Debet enim dolor internus per aliquam signa-

na exteriora, seu virtus manifestari: ut habeatur materia sensibilis; hae autem signa exteriora subeunt vicem verborum, suntque virtualis petitio Sacramenti, & aequalis peccatorum confessio. Quae autem signa requirantur, & sufficiant? dicemus, dum de Confessione.

Obj. 8. Materia praesupponitur formae; atqui satisfactio non praesupponitur formae, scilicet absolutioni, sed eam sequitur: ergo. R. D. Maj. Materia, quae est pars essentialis, praesupponitur formae, C. quae est pars integralis tantum, N. Videmus enim in ipsis naturalibus, v. gr. in nutritione partes integrantes, ut dentes, cornua, &c. accrescere, informari eadem anima, quae illis praesupponitur. Satisfactio autem est materia Poenitentiae per modum partis integrantis tantum, & quoque modo informatur ab absolutione, quatenus ex ea recipit vim remittendi poenas ex opere operato.

Obj. 9. Omnes partes totius constitutivae debent esse simul; atqui contritio aliquandò praecedit confessionem, confessio absolutionem, & satisfactio aliquandò dicitur post adimpletur: ergo. R. D. Maj. In toto permanente, & physico, C. in toto morali, & successivo, quae est in nostro casu, N. Talis enim similitudo partium ad illud requiritur, qualis intercedere solet v. gr. inter accusationem Rei, ejus defensionem, sententiam Iudicis, & sententiae executionem, ex quibus integratur unus actus, seu processus iudicialis. Haec autem similitudo est moralis, sicut totum est morale. De his tribus partibus dicemus seorsim infra.

Ex dicentibus, & supponendo, quod articulo sequenti dicam, verba absolutionis esse formam hujus Sacramenti, colliges ipsum supponere pro aggregato ex actibus Poenitentiae, & absolutione Sacerdotis. Item rectè definitur physicè: Confessio dolorosa peccatorum post Baptismum commissorum, facta legitimo Ministerio, absolvente sub praescripta verborum forma: Metaphysicè autem, seu logicè; Sacramentum a Christo institutum, significativum, & collatum gratiae, peccatorum post Baptismum commissorum remissivae.

ARTICULUS III.

De Forma Sacramenti Poenitentiae.

Treria hic quaerimus totidem §§. 1. quae sit forma hujus Sacramenti? 2. quis sit ejus sensus? 3. an forma deprecativa sit valida?

§. I. Quae sit Forma hujus Sacramenti?

Dico 1. (Hic q. 84. art. 3. o.) Forma conveniens, & legitima Sacramenti Poenitentiae est haec: Ego absolvo te a peccatis tuis in nomine Patris, &c. Trid. Florentinum in Decreto unionis his verbis: Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quae Sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo, &c. Trid. Sess. 14. c. 3. docet praeterea S. Synodus, Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis Ministerii verbis postquam esse: Ego te absolvo, &c. 2. (Ib. in a. s. c.) Fundatur in Scriptura. Sicut enim Dominus dixit Discipulis Matth. ultimo: Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c. ita dicit eisdem Matth. 18. Quaecumque solveritis, &c. atqui Sacerdos vi priorum Christi verborum dicit: Ego te baptizo: ergo vi posteriorum debet dicere: Ego te absolvo.

3. (Ibid. o.) Ratione prob. Forma Sacramenti debet significare id, quod in Sacramento agit proportionalitèr ad materiam Sacramenti; significant enim Sacramenta novae Legis, quod efficiunt: atqui haec forma, Absolvo te, significat id, quod peragitur in hoc Sacramento proportionalitèr ad materiam: ergo. Prob. Min. In hoc Sacramento removenitur peccata, quae sunt illius materia, & quaedam vincula, juxta illud Proverb. 5. Impius funibus peccatorum suorum constringitur; atqui id significant haec verba: Absolvo te a peccatis tuis: ergo.

Dices. Sacerdos ad ligandum non dicit te ligo, licet Christus pariter dixerit: Quaecumque ligaveritis, &c. ergo neque ad solvendum debet dicere, Te absolvo. R. N. Cons. Disparitas est, quod, cum ligare non sit gratie collativum, non fit per confessionem Sacramenti, sed per denegationem absolutionis; sedis solvere.

Inst. Ad absolvendum ab Excommunicatione non requiruntur haec verba, absolvo te, sed quaecumque alia sufficiunt; atqui tamen potestas absolvendi ab Excommunicatione est ex iisdem Christi verbis, Quaecumque solveritis, &c. ergo, nec requiruntur ad absolvendum a peccatis. R. N. iterum Conseq. (Opus. 22. c. 2.) Disparitas est, quod absolutio a Centuris non sit sacramentalis, ideoque permixta arbitratu hominum, ita ut ad illam sufficiant quaecumque verba intentionem absolventis exprimentia, imò nutus, vel etiam familiaris conversatio cum Excommunicato: at absolutio a peccatis est sacramentalis. Theol. Billuart. Pars Tertia.

mentalis, ac proinde non hominum arbitratu permixta, sed juxta Christi institutionem per Ecclesiam ejus sponsam ad nos transmissam observanda.

Dico 2. Haec duo sola verba, Absolvo te, sunt essentialia formae hujus Sacramenti. Est communior. In primis certum est, pronomen Ego non esse essentialia formae hujus Sacramenti, sicut, nec in forma Baptismi, sufficienter enim exprimitur in ly Absolvo. Conveniunt etiam communiter Theologi, haec verba, in nomine Patris, &c. non esse essentialia; quia id neque ex Scriptura, neque ex Traditione, & sensu communi Ecclesiae eruitur. Est autem difficultas circa haec verba, a peccatis tuis. Itaque

Prob. Haec sola verba Absolvo te, ommissa a peccatis, significant principalem effectum Sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis; haec sola sunt essentialia formae. Prob. Ant. Licet haec forma, Absolvo te, sit secundum se indifferens ad significandam absolutionem a peccatis, vel a censuris, hoc ipso tamen quo profertur super poenitentem, qui peccata sua confessus est, & subicit jurisdictioni Sacerdotis, per hanc circumstantiam determinatur ad significandam absolutionem a peccatis; sententia enim, quae supponit cognitionem hujus, & non alterius, cadit determinatè super hanc causam cognitam, & non super alteram, & ita determinatè significat absolutionem a vinculis in iudicio probatis. Sic etiam in iudicio humano sufficit, si iudex, audita, & cognita causa rei, profert in eum sententiam absolutionis, aut condemnationis, non expresso crimine; licet moris sit, ut singula exprimat ad majorem horrorem, & detestationem: ergo. Tandem haec duo, absolvo te, esse essentialia, patet, quia ommissa voce absolvo non exprimitur actus iudicialis, seu sententia iudicis: omisso te, non exprimitur persona, circa quam exercetur iudicium, nec intelligitur absolutio a peccatis; quia non intelligitur a peccatis, nisi in quantum absolviuntur is, qui peccata sua confessus est.

Dices 1. Christus Joann. 20. expressit peccata: Quorum remiseritis peccata: ergo. R. N. Cons. Tò Absolvo in usu hujus Sacramenti determinatur per confessionem peccatorum, ut dicitur est, non in ejus institutione. Aliquandò Christus non expressit peccata, quando dixit Matth. 16. & 18. Quaecumque solveritis, &c.

Dices 2. Concilium Florentinum, & Trid. quando definiunt formam absolutionis sitam esse in his verbis, addunt, &c. ergo censent, aliqua saltem ex sequentibus esse essentialia. R. N. Cons. Ideo enim hanc particulam, &c. addiderunt, vel ut abstraherent a controversia Theologorum circa particulas A peccatis; vel ut significarent eas, licet non essentialia, non debere tamen omitti. Si enim has pauculas voces essentialiter censuissent, dubio procul expressissent in Decreto, sicut in formis aliorum Sacramentorum omnia, etsi plura, & longiora, expriment. Cetera argumenta circa particulas a peccatis praecipua sunt in probatione Conclusionis.

Dices 3. In Baptismo & Confirmatione essentialis est expressio Trinitatis: ergo & in Poenitentia. R. N. Cons. Disparitas petitur ex voluntate Christi, quae nobis per Ecclesiae traditionem & communem sensum innotescit. Ratio congrua vero est, quod Baptismus sit professio fidei, cujus praecipuum obiectum est Trinitas; & Confirmatio est corroboratio ad eandem fidem confirmandam; neutrum Poenitentia.

CONSECTARIA.

EX dictis colliges. 1. Quamvis probabilis sit, validam esse absolutionem sub his solis verbis, Absolvo te; esse tamen illicitam, & graviter peccare, qui omitteret a peccatis; quia non est certum, ista verba non requiri; ita ut istis omissis repetenda foret absolutio sub conditione. Omittere autem expositionem Trinitatis, multi volunt, esse peccatum veniale. Dicit tamen S. Thom. hic ad 3. id relinquere arbitrio Sacerdotis; quod non diceret, si existimaret ejus omissionem esse peccatum veniale. Similiter quidam volunt, esse peccatum veniale omittere, quae praecedunt & sequuntur, scilicet Miserereatur, Dominus noster, Passio, &c. alii nullum esse peccatum: arbitramur, ea omittere nulla prorsus subsistente causa esse peccatum veniale; nullum vero, si aliqua causa, etsi non gravis, adsit: unde in Rituali Romano Pauli V. legitur, quod in confessionibus frequentioribus & brevioribus possit omitti Miserereatur, & satis sit dicere, Dominus, &c. usque ad Passio, &c.

Colliges 2. Absolutionem prolatam sub forma aequivalenti esse validam, illicitam tamen. Hinc valerit, si diceretur: Remitto, condono tibi peccata, absolventur talis a peccatis, &c. quia remanet idem sensus, sicque est tantum mutatio accidentalis. Observat Cujetanus, absolutionem datam in plurali honoris causa, esse etiam validam, sed illicitam.

Colliges 3. Formam absolutionis debere necessariò verbis exprimi, nec sufficere nutus, aut alia signa. 1. Quia haec est voluntatem Christi, probat communis & unanimis sensus Ecclesiae.

siz. 2. Quia in omnibus aliis Sacramentis forma debet verbis exprimi: excipitur solum Matrimonium, quod, cum sit contractus, natus ad illud sufficit. 3. Quia Florentinum reponit formam in verbis, quæ proferunt Minister, & Tridentinum in Ministris verbis; quæ aperte indicant, formam esse necessariam verbis exprimentendam.

Nec obstat, in iudicio forensi sententiam posse fieri scripto: non enim iudicium sacramentale convenit in omnibus cum forensi. Sic in sacramentali idem est reus, accusator, testis, & defensor; non sic in forensi: in sacramentali pœnitenti pro se, & contra se dicenti creditur; non in forensi.

§. II. Quid sit sensus horum verborum, Absolvo te.

Deo 1. Sensus horum verborum Absolvo te non est: remitto poenas peccatis debitas. Prob. 1. Christus dixit: Quorum remisistis peccata; & in forma Pœnitentiæ dicitur: Absolvo te a peccatis; atqui poena distinguitur a peccato, & ad illud sequitur: ergo. 2. Juxta Trid. sess. 6. cap. 14. *Pœna æterna...* una cum culpa remittitur. Si ergo Sacerdos non remittat culpam, nec remittit poenam æternam. 3. Juxta idem Concilium sess. 14. c. 1. Sacerdotes habent potestatem ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos: reconciliatio autem fit per remissionem culpæ, & non solius poenæ. Confirm. Ex seq. propositionibus damnatis in Baio: In Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dimittaxat tollitur, & Ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu; est 57. Idem 58. Per reatum verò ipsum solam poenam intelligere, patet ex 56. propositione etiam damnata, in qua dicitur: In peccato duo sunt, actus, & reatus; transacto autem actu, nihil remanet, nisi reatus, sive obligatio ad penam.

Dico 2. (Hic q. 84. art. 4. ad 5. & opusc. 22. c. 1. 2. 3.) Sacerdos per verba Absolutionis non solum declarat, seu ostendit peccata esse remissa, sed ea verè remittit. Est contra Magistrum sententiarum, & quosdam antiquos, nec non contra novos Hæreticos, quomodo diverso sensu locuti fuerint.

Prob. 1. ex Concilio Trid. sess. 14. Can. 9. sic definiunt: Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem non esse actum iudiciale, sed nudum ministerium promouendi, & declarandi remissa esse peccata confitentium... anathema sit. Et cap. 3. *Res & effectus hujus Sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* Prob. 2. ex Chrysost. libr. 3. de Sacerdotio c. 6. *Corporis, inquit, lepram purgare, vel ut verius dicam, ne purgare quidem, sed purgatam ostendere, Judæorum Sacerdotibus licebat; at verò nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, sed anima sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*

Prob. 3. (Ib.) Sacramenta novæ Legis non solum significant, sed efficiunt, quod significant. Hæc enim est præcipua differentia, quam Florentinum statuit inter Sacramenta novæ, & antiquæ Legis, quod hæc significant tantum, prima autem significant, & efficiunt; atqui hæc Sacramenti Pœnitentiæ forma Absolvo te significat remissionem peccatorum: ergo illam efficit. Confirm. Hæc Baptismi forma Ego te baptizo non solum significat hominem interius ablutum, sed illum abluit: ergo hæc Absolvo te non solum declarat hominem absolutum, sed verè absolvit.

Prob. 4. Potestas clavium, seu ligandi, & solvendi, data est Ministris Ecclesiæ, ut jam dixi, & dicam; atqui, si declararent dimittaxat peccatores absolutos, & non salvant, frustranea est ista potestas; æquè enim, imò melius id declarare poterit quilibet prudens, & doctus, cui perspecta erat conscientia pœnitentis, quam plures Ecclesiæ Ministri: ergo, Itaque sensus naturalis horum verborum Absolvo te a peccatis, attenda significacione, quam habent ex institutione hominum, est hic: Remitto, seu condono tibi peccata: (Hic ibid.) Sensus autem sacramentalis, seu significatio, quam habent ex institutione Christi, à quo omnia Sacramenta habent, quod sint significativa, & collativa gratiæ, est hic: Sacramenta absolutionis tibi impendo, hoc est, confero tibi Sacramentum, quantum est ex se absolutivum a peccatis, & collativum gratiæ: seu ut alii volunt, & in idem rediit: Confero tibi, quantum est ex parte mea, & Sacramenti, gratiam peccati remissionis. Quapropter verificatur forma, etiam defectu subjecti gratia de facto non conferatur. Item, si feratur super peccata jam confessà, & remissa, præsertim cum eo in casu amplior detur gratia.

Dico 1. Quando Christus Luc. 7. dixit mulieri peccatrici, Remittuntur tibi peccata, declaravit tantum esse remissa; fuerant enim prius remissa per hæc verba: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: ergo similiter in casu. R. 1. N. Cons. Non est enim necesse, quod, si verbum remittendi in uno loco sumatur significativè tantum, ita & in alio; & eo maxime quod in loco cit. per verba priora supponerentur peccata remissa, non sic in nostro casu. 2. Dici potest, quod

hic sermo secundò prolatus sit confirmatio prioris remissionis; quasi dixisset: remissa sunt; vel quod per priora verba iniquarentur peccata mox remittenda, per sequentia verò reipsa remitti.

Dico 2. Hieronymus super illud Matth. 16. *Tibi dabo claves, &c.* hæc habet; *Hunc locum quidam non intelligendo aliquid servant de supercilio Pharisæorum, ut damnare innocentes, vel solvere se putent noxios; cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed eorum vita queratur. In Levitico se ostendere Sacerdotibus jubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos, vel mundos, sed discernunt, qui mundi, vel immundi sint: ergo. R. Hieronymum comparare Sacerdotes Evangelicos legalibus non in hoc, quod, sicut legales non mundabant a lepra, sed ostendebant tantum, & discernabant mundatos, ita Evangelici non absolvent, sed ostendunt tantum absolutos. Sed in hoc comparat, quod, sicut Sacerdotes legales non poterant pro suo arbitrio discernere inter lepram, & non lepram, sed juxta causæ merito; ita Sacerdotes novæ Legis non possunt pro suo arbitrio quos voluerint absolvere, vel ligare, sed debent expendere merito, & dispositionem cujusque, & dispositos absolvere, indispositos non absolvere; alioquin nihil efficiunt, cum Sacramenta operentur suos effectus in subjectis dispositis.*

Dico 3. Lazarus peccatori comparatur; atqui Lazarus fuit a Christo prius suscitatus, quàm Discipulis solvendus traderetur: ergo. R. (Opusc. 22. c. 2.) Comparationem illam Lazari cum peccatore esse moralem, non litteralem, ideoque ex illa firmiter argumentum desumi non posse. Non igitur in hoc stat comparatio, quod, sicut Christus Lazarum resuscitavit, & viventem tradidit Apostolis solvendum, ita resuscitavit peccatorem, & ipsum jam viventem absolvit Sacerdos; sed in hoc, quod, sicut Lazarus magna voce ex sepulchro vocavit, & vocatus fuit a Discipulis solutus; ita nos per gratiam actualem prævenientem magna voce clamando vocat e tumulo peccatorum, inquit Aug. Tract. 19. in Joann. adhuc reos tamèn, sed solvèndos a Sacerdotibus. Quando igitur idem Aug. alibi, & alii Patres dicunt, Peccatores prius a Deo vivificari, quàm a Sacerdotibus solvantur, Sacerdotes posse curare viventes, non excitare mortuos, & similia, non loquuntur de vita, seu vivificatione per gratiam justificantem, sed de vita imperfecta per gratiam excitantem, quæ inchoat vitam animæ per aliquem actum supernaturalem, ad quem movet peccatorem. Hanc enim duplicem vivificationem admittendam esse, constat ex propositione 60. damnata inter Baianas.

§. III. Utrum absolutionis forma deprecatória possit esse valida?

Adhibendam esse formam deprecatóriam in Sacramento Pœnitentiæ, tenuit olim antiquus Scriptor, quem impugnat S. Thom. Opusc. 22. Hujus opinionem penitus antiquatam sæculo præcedenti suscitavit Joannes Morinus Prebyter Oratorii libr. 8. de Pœnit. quem avidè secuti sunt quidam Recentes, Juenin, Vitasse, Vanroy, Tournely, Pierre, &c. Fatentur equidem, nunc in Ecclesiâ Latinâ, post Concilii Florentini, & Trid. definitiones, necessariò adhibendam esse formam indicativam, seu absolutam; & deprecatóriam non sufficere: at contendunt, duodecim prioribus sæculis valuisse. Apud Græcos verò semper valuisse, & etiamnum valete. Fandantur præsertim in antiquis monumentis, quæ, ut putant, non nisi formam deprecatóriam referunt. Contra quos pro sententia D. Thom. & communiori.

Dico (Opusc. 22. c. 1. 2. & 3.) Probabilis est, formam simpliciter deprecatóriam in Sacramento Pœnitentiæ non posse esse validam. Prob. 1. ex Scriptura, & verbis Auctoritatis. (Ibid. c. 2.) *Christus non dixit: quæcumque petieris esse solvenda, erunt soluta; sed quæcumque solveris: si ergo illa tantum dicuntur esse soluta, que habent claves solvendi, qui autem petiit aliquid esse solvendum, non solvit; miror, qui temeritate aliquid asserit ad esse solutum, quem habent claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum.*

Prob. 2. Concilium Florentinum in Decreto unionis, & Trid. sess. 14. cap. 3. definiunt, formam hujus Sacramenti sitam esse in his verbis Sacerdotis: *Ego absolvo te. Addit Trid. ibid. De Ecclesiæ more quædam preces laudabiliter adijungi, ad ipsius tamen formæ essentiam non pertinere, neque ad ipsius Sacramenti administrationem esse necessaria.* ergo.

Respondet Tournely, equidem post hæc definitiones preces non amplius pertinere ad essentiam formæ; pertinetisse tamèn olim, antequàm Ecclesiâ formam absolutam adoptaret: quia, ut prætidit iste Theologus, Christus non determinavit formam hujus Sacramenti, an debet esse absoluta, vel deprecatória, sed id determinandum reliquit Ecclesiæ; & sic ea est forma essentialis, quam Ecclesiâ pro tempore elegit; sicut, inquit, contingit in Matrimonio, quod antè Trident. clandestinè contractum erat validum, nunc est nullum. Sed contra 1. For-

ma Sacramenti, quæ spertè colligitur ex ejus institutione, una est ubique invariabilis, saltem quoad sensum, nec determinationi Ecclesiæ relicta, ut patet in forma Baptismi & Eucharistiæ; atqui hæc forma, absolvo te, aperte colligitur ex verbis institutionis, *Quæcumque solveritis, &c.* non minus quàm ista forma Baptismi *Baptizo te*, ex his verbis, *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos, &c.* ergo, sicut ista est una ubique & invariabilis, saltem quoad sensum, nec relicta determinationi Ecclesiæ, ita nec prima.

2. Hæc Doctrinæ Parisiensis responsio non coheret cum ejus & assolarum doctrina. Dicunt enim, formam deprecatóriam, non obstantibus his definitionibus, etiam nunc valere in Ecclesiâ Græcâ; atqui tamèn laudata Concilia definiunt tanquam fidei dogma, formam esse absolutam, non pro Ecclesiâ Latina tantum, sed etiam pro Græcâ; definitiones enim fidei spectant totam Ecclesiâ, & præsertim Decretum Florentinum, quod specialitèr pro Græcis fuit editum: ergo, si consequentèr loquantur, debent reputari invalidam formam deprecatóriam apud Græcos, quod tamèn negant; sique responsio Tournely videtur illusoria.

Exemplum Matrimonii, quod affert, non est ad rem: 1. Quia Ecclesiâ irritando Matrimonium clandestinum non mutavit formalitèr Matrimonium determinatum a Christo, quæ semper fuit, & adhuc est nunc, contractus validus: hunc solum enim Christus elevavit ad rationem Sacramenti; sed effectum tantum, ut contractus, qui antè erat validus, non esset amplius validus; quod non est mutare materiam Matrimonii formalitèr, sed materialitèr tantum: sicut, si quis verteret vinum in acetum; non mutaret formalitèr materiam Sacrificii, sed materialitèr tantum, quatenus faceret, quod res, quæ erat materia Sacrificii, non sit amplius res, quæ sit materia Sacrificii. Et hinc 2. Lex irritans Matrimonium clandestinum est lex discipline tantum, quæ non obligat, nisi ubi est promulgata & recepta: ideo Matrimonium clandestinum adhuc est validum in locis, in quibus non est promulgatum, aut receptum Trid. At definitiones fidei, quales sunt, quæ spectant formas Sacramentorum in Scriptura fundatas, vim habent in tota quâ latè patet Ecclesiâ.

Prob. 3. Juxta Scripturam & Trid. sess. 14. c. 6. & Can. 9. Absolutio sacramentalis est actus judicialis, quem exercet Sacerdos, & quo ab ipso velut à Judice sententia pronuntiatur; atqui sententia judicialis nec est, nec esse potest deprecatória: etenim iudicare, seu sententiam ferre est actus habentis & exercentis auctoritatem; deprecari autem est actus supplicantiis; adeò ut implicem eundem actum esse judicialem & deprecatórium simul & sub eadem ratione: ergo. Multa excogitat Tournely, ut ab hoc argumento se expediat. Admittit majorem, sed ad Minor. dicit 1. quod, cum Sacerdos, non propria, nec suprema, sed precaria & ministerialis auctoritate iudicium exerceat, tacitam saltem orationem fundat. 2. Quod in pronuntianda excommunicatione actus iudicij paritèr exerceatur, quæ tamèn aliis quàm indicativis verbis potest pronuntiari. 3. Ex eo, quod Christus dederit Apostolis potestatem absolvendi a peccatis, non sequitur hanc potestatem debere exerceri verbis indicativis, siquidem potestatem, quam paritèr Apostoli acceperant sanandi infirmos, ferè semper exercuerunt deprecatórie. Sed contra 1. Formæ omnium aliorum Sacramentorum, excepta Extrema Unctione, sunt dicto sensu oratio tacta; in his enim sicut in Pœnitentiâ, Sacerdotes non agunt propria & suprema auctoritate, sed precaria & ministerialis tantum; tamèn nemo ideo unquam dixit, has formas esse deprecatórias. Ad 2. neque pronuntiatio excommunicationis, neque absolutio ab excommunicatione, cum sint actus judiciales, possunt esse deprecatórias, nisi appareant, & quoad syllabas, quæ nihil operantur; quæ in negotio censurarum non requiritur aliqua forma, sed totum pendet ab intentione superioris: unde quibuscumque verbis, signis, aut nuntiis suam intentionem manifestet, hæc semper manet actus judicialis, & non deprecatorius. Et quem, amabo, deprecabitur Prælati ferens excommunicationem, aut ab excommunicatione absolvens? At in absolutione a peccatis non solum intentio, sed forma debet esse judicialis, sacramentalis, & operativa ex institutione Christi; sique ea, quam Christus instituit, & quam ex illo Ecclesiâ definivit, servanda est. Ad 3. N. Paritas est, quod sanatio infirmorum non sit actus judicialis, sicut absolutio sacramentalis a peccatis. 2. Respondet Auctor. (Hic q. 84. art. 3. ad 4.) quod Apostolis non est data potestas, ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur, est autem eis collata potestas operandi instrumentalitèr; sive ministerialitèr in Sacramentis. Et ideo magis possunt in formis sacramentalibus exprimere actum suum, quam in sanctionibus infirmitatum: in quibus tamèn non semper modo deprecativo utebantur, sed quandoquæ modo indicativo & imperativo, sicut Act. 3. legitur, quod Petrus dixit claudo: *Quod habes, hoc tibi do: In*

nomine Jesu Christi Nazarenæ surge & ambula. Favent etiam huic Conclusioni, quæ dixi §. præcedenti.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. ex Patribus. S. Ambrosius l. 3. de Spiritu S. c. 8. *Homines, inquit, in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent...* isti rogant, Divinitas donat. S. Aug. l. 2. de Bapt. c. 6. *Manus impositio (quæ supra pœnitentes fieri solebat) non sicut in Baptismo repeti non potest; quid enim aliud est, nisi oratio super hominem?* S. Leo Ep. 82. alias 91. *Indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequit obtineri.* Idem S. Hieron. in Ps. 28. ergo, R. 1. ad Ambrosium, homines non exercere jus potestatis alicujus scilicet supremæ, sed ministerialis & delegatæ. 2. Idem Ambros. & alii Patres quandoquæ vocant absolutionem sacramentalem orationem, seu supplicationem; quia, cum Sacerdotes non absolvant virtute suprema & propria, sed ministeriali & precaria, eorum Ministerium est quædam tacita supplicatio, ut Deus ratum habeat, quod faciunt, ut ipse Tournely dicebat supra, & ita in aliis Sacramentis; ex quo tamèn non sequitur, formas Sacramentorum esse deprecatórias. 3. Quandoquæ etiam SS. Patres vocant absolutionem sacramentalem orationem & supplicationem ratione precum, quæ illam continent. Siquè ipsimet adversarii Juenin, Tournely, &c. explicent Patres, dum dicunt, Consecrationem fieri supplicationibus Sacerdotum, id est, concomitantèr & dispositivè, in quantum sine precibus non peraguntur divina Mysteria; non verò formalitèr.

Obj. 2. quosdam Scholasticos antiquos, qui habente sacculo 12. & ineunte 13. floruerunt, in primis Scriptorem, quem impugnat S. Thom. Opusc. 22. & alios, quod citat ipse Scriptor, Guillelmum Allisiodorensis, Guillelmum Parisensem & Hugonem Cardinales, adde Petrum Cantorem circa ann. 1200. & Franciscum Mayronis circa ann. 1300. qui refert, formam deprecatóriam suo tempore in usu fuisse in Provincia Provincie: ergo. R. 1. verbis S. Thom. (Opusc. 22. c. 2.) *De his, quod ita senserint, non constat: sed etsi sic senserint, nunquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini, dicentis Petrus: Quodcumque solveris, &c. Nunquid etiam, si nunc viderent, præjudicare posset communi sententiæ Magistrorum Parisiæ Regentium; qui contrarium sentiunt, decernentes absque his verbis, Ego te absolvo, absolutionem non esse per solam deprecativam orationem.* 2. Isti Doctores possunt intelligi, quod Sacerdotes non auctoritate suprema & propria, sed precaria tantum & ministeriali absolvant, ideoque absolutioni orationem præmittant. Hunc sensum patiuntur verba Guillelmi Parisiensis, quæ sola refert Tournely. 3. Observandum est pluribz, Scholasticis tunc temporis in ea opinione fuisse, quod homo per contritionem Deo reconciliaretur, & justifiçaretur, per absolutionem verò reconciliaretur Ecclesiæ, poena liberaretur, & gratia augetur. Undè, dum dicunt formam absolutionis esse deprecatóriam, intelligunt respectu remissionis peccatorum, & gratiæ justificantiis. Ità innuit S. Bonaventura in 4. d. 18. p. 1. art. 2. q. 1. de Francisco Mayronis mox dicam.

Inst. Scriptor, quem oppugnat S. Thom. Opusc. 22. dicit: *Vix anni triginta elapsi sunt, cum omnes sola forma deprecativa uterentur:* ergo. R. quod, sicut Doctor illi fidem non adhibet, nec nos adhibemus, & merito. Nam Alexander Alensis Scholasticus, quos citat iste Scriptor, coætaneus; aut supprior, in Summa p. 4. q. 21. tradit formam indicativam, ut refert S. Thom. & ejus usum, seu potius abusum, qui irrepsit apud quosdam Sacerdotes in Provincia Provincie, improbarunt Episcopi; ut refert Franciscus Mayronis prius laudatus. Porrò, si forma deprecatória fuisse usurpata in Ecclesiâ usquè ad Sæculum 13. jam inchoatum, ut fingit iste Anonymus, neque Episcopi, neque Doctores illius temporis neum tot Sæculis in Ecclesiâ consecratum improbasent & damnasent. Deniquè quàm falsum sit, & temerarium illius assertum, mox patebit apertius in secunda responsione ad sequens argumentum.

Obj. 3. Ritualia Pœnitentiæ, Sacramentalia, & Pontificalia, quæ antè annum millesimum scripta, quæ solam formam deprecativam exhibent; inter quæ recensetur Pontificale Egberti Eboracensis, Anglicanum, Remense, Sacramentarium Gregorii, Ordo Romanus, &c. ergo. R. 1. Formulæ illæ deprecatórias, quæ in illis antiquis Ritualibus, Sacramentariis, & Pontificalibus referuntur, non spectare absolutionem sacramentalem, sed Canoniceam. Quod patet, partim quia plurima ex illis hunc proferunt titulum: *Orationes ad reconciliandos peccatores Feriali; in Cæna Domini, partim quia Ritus, qui in illis describuntur, sunt valde prolix, & pluribus orationibus*

constantes, & quod præcipuum est, orationes illæ frequentè repetuntur; cum forma sacramentalis sit brevis, & nunquam, nisi repetita materia, repetatur. 2. Obijcientes non sat attentè legerunt hæc antiqua monumenta, quæ opponunt, cum etiam in eis legatur forma sacramentalis absoluta. In Pontificali Egerberti sub finem legitur: *Absolvimus vos vice B. Petri Apostolorum Principis, cui Dominus potestatem ligandi, atque solvendi dedit, &c.* In Anglicano: *ego immeritus & peccator Episcopus hanc absolutionem manu, ore, corde confirmans, omnipotentis Dei clementiam imploro. Ubi Tô confirmans vim habet formæ indicativæ: In Ordine Romano: Nos etiam, secundùm auctoritatem nobis indignis a Deo concessam, absolvimus vos ab omni vinculo delictorum vestrorum.* In Sacramentario Gregoriano, asserto in Bibliotheca Victoriana Parisiensi: *Absolvimus te vice B. Petri Apostolorum Principis, cui Dominus potestatem ligandi, atque solvendi dedit.* In Rhemensi M. S. teste Menardo: *Ego divinitus vos absolvo a vinculo peccatorum vestrorum.* Nec te moveat, quod dicatur in plurali, *Absolvimus & vos;* hic enim usus tunc temporis frequens erat honoris causa. Hinc usque de Ecclesia Latina. Nunc de Græca.

Obj. 4. Omnia Euchologia, seu Ritualia Græcorum non referunt, nisi formam deprecativam; ut hanc apud Arcudium, natione Græcum, cap. 4. Concord. *Domine Jesu Christe, qui dedisti nobis potestatem, absolvo hunc a peccatis suis:* & istam in Euchologia edito a nostro P. Goar, in partibus Orientalibus Missionario: *Dominus Jesus Christus remittat tibi omnia, qua coram me tenuitate confessus es,* & similes. Ita objiciunt juniores ex Morino; qui etiam testatur, se interrogasse Sacerdotem Græcum de forma absolutionis, sibi que ab eo responsum fuisse, hanc esse communem apud Græcos: *Ipse Domine remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia est tua potentia, & tuum Regnum Patris, &c.* Confirmat. maximè ex institutione Clementis VII. anno 1505. super Ritibus Græcorum, ubi hæc leguntur: *Utantur forma absolutionis in Generali Concilio præscripta: & postea, si voverunt, dicant Orationem illam deprecativam, quam pro forma absolutionis dicere tantum consueverunt,* ergo ante hanc instructionem nunquam obtinuerat forma absoluta apud Græcos. R. 1. Ut argumentum, ex Euchologiis Græcorum petitum, vim aliquam haberet, deberet probari in primis hæc Euchologia mansisse incorrupta, quod non est verisimile inter tot turbines, acissiones, & schismata Græcorum: idem in illis agi de absolutione sacramentali, & non de canonica; quod neque probabile est, cum istæ preces, in quibus obijcientes reponunt formam sacramentalem, sæpius repetantur; quod dici non potest de absolutione sacramentali. 2. Fatetur equidem Arcudius, in Euchologia Græcorum formam deprecativam haberi; sed addit, peritiosos Græcos ea non uti, sed hæc, *Humilitas mea condonatum habet Filium suum in omnibus.* Item plures alias formas Græcorum absolutas refert, ut hæc: *Ego quoque Pater tuus spiritualis, potestate mihi a Deo, & a superioribus meis concessa, te absolvo ab omnibus peccatis tuis; & itas: Habeo te venia donatum, habeo te absolutum.* Idem testatur Menardus in Sacramentario Gregoriano. Hæc autem voces, *Donatum, absolutum,* in istis formulis non sumuntur pro præterito, sed pro presenti; ut cum dicimus, *Habeo te excusatum,* id est, te excuso. Insuper probat Arcudius, Russos, Ruthenos, Chiivenses, & alios Græcorum uti formam deprecativam, eos, qui utantur deprecatoria, recedere ab institutis majorum; & non absolvere. Quantum ad Euchologium P. Goar illud caligantibus oculis legerunt obijcientes: in eo enim post preces habetur pag. 678. *Insuper ego absolvo ab omnibus peccatis tuis, quæcumque confessus es coram Deo, & coram indignitate mea:* & paulo infra eadem pagina: *Ego verò condona tibi omnia peccata tua.*

3. Probat Arcudius, formas Græcorum, quæ videntur deprecativæ, non esse merè deprecativas, sed habere sensum absolutum, & æquivalere formæ indicativæ Latino-Græcorum: quia, attentis circumstantiis Tribunalis & personæ, a qua & in quam profertur absolutio; item attentò, quod potestatis sibi concessæ mentionem prius faciant per hæc verba, *Quæcumque solveritis, &c.* vel per ista, *Domine Jesu Christe, qui dedisti nobis potestatem, absolvo hunc:* his, inquam, attentis, dãm dicunt Absolvo hunc, intendunt applicare virtutem & actionem principalis agentis, & sensus est: absolvo hunc per me, vel per Ministerium meum; sive, absolvo Domine principaliter, quem potestatem, a te mihi concessa, absolvo ministerialiter; ita ut forma illorum practiçæ, & in actu exercitio sit absoluta. Et certè, cum nulla unquam existerit controversia inter Græcos & Latinos circa formam hujus Sacramenti, non est verisimile, eam esse ullibi diversam, aut mutam; ac proinde consequens est, ut utriusque usurpata sibi correspondeat, vel formaliter, vel æquivalenter; atque hoc sensu intelligi potest responsum Sacerdotis Græci factum Morino: sin minus, dicendum, quod testis unus sit testis nullus, cui opponimus & Arcudium etiam

natione Græcorum, & P. Goar in Ritibus Græcis peritissimum. Ad Confir. R. cum Delugo, Henno, & novissimè Berti, idem Clementem VIII. Græcis, quos instruebat, præscripsisse formam Concilii Florent. quia deprecatoria, qua utebantur, erat invalida; si enim censuisset validam summ. Pontifex, ut quid absolutam jussisset, & postea deprecatoriam adjungi tantum permisisset? Unde ipso suo telo confodiantur arguentes. Ex hoc verò quod Græci, quos instruebat Clemens VIII. uterentur forma deprecatoria, non sequitur, quod omnes Græci ea uterentur; sicut ex eo quod quidam Græci contenderent consecrationem fieri precibus, non sequitur, omnes Græcos in ea opinione fuisse, ut alibi diximus; idque evidens est in nostro casu ex testimoniis Arcudii, & P. Goar, variisque Græcorum formulis, quas supra retulimus.

Obj. 5. Forma Extrema-Uctionis, in qua etiam peccata remittuntur, est deprecativa: ergo similiter forma Penitentia. R. N. Cons. 1. Quia forma deprecativa Extrema-Uctionis exprimitur in Scriptura, Jacobi 5. *Oratio fidei salvabit infirmum;* e contra indicativa Penitentia exprimitur: *Quodcumque solveritis, &c.* 2. Penitentia est ad instar actus judicialis, non Extrema-Uctionis. 3. In Extrema-Uctione expectatur salus corporis, quæ non certè confertur, & idem petitur; in Penitentia verò expectatur salus animæ, quæ certo confertur, quantum est ex parte Sacramenti.

Si demùm objicias, Deum potuisse remittere peccata per formam deprecativam. R. potuisse, sed noluisse. Vel D. Aut. Potuit simpliciter & absolute, C. judicialiter, R.

## ARTICULUS IV.

De Institutione, Necessitate, & Iteratione  
Sacramenti Penitentia.

## §. I. Quandoquid fuerit institutum hoc Sacramentum?

Dico (Sup. q. 8. art. 1.) Christus Sacramentum Penitentia tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum S. quorum remisistis peccata, remittuntur eis;* & quorum retinueritis, retenta sunt. Joann. 20. Sunt verba Concilii Trid. sess. 14. c. 1. Prob. insuper. (Ib.) Tunc Christus instituit Sacramentum Penitentia, quando contulit Apostolis potestatem judicariam absolvendi, vel condemnandi; juxta merita delinquentium; est enim hoc Sacramentum spirituale Tribunal ad judicialiter condemnandum, vel absolvendum, consequenter cum cognitione causæ, quæ habetur per confessionem rei; atque hanc potestatem contulit Joann. 20. ut patet ex terminis: ergo. Quæ contra confessionem opponunt Hæretici, diluuntur infæ. Dixi in Conclusionem cum Trid. præcipue; quia Matth. 16. & 18. promissa fuit hæc potestas, his verbis: *Quæcumque solveritis, &c.* non tamen conceditur; quia tunc Apostoli nondùm erant Sacerdotes.

Dices: Ecclesia in ordinatione Sacerdotum confert illis potestatem dimittendi peccata; atque Apostoli ordinati sunt Sacerdotes in ultima Cena: ergo. R. N. Cons. Quod enim Ecclesia simul confert, Christus potuit separatim conferre: Sacerdotum namque præciçæ, quantum est se confert tantum potestatem in corpus Christi verum & naturale; ut autem habeatur in corpus Christi mysticum, requiritur quædam hujus potestatis extensio, quam confert Ecclesia in ordinatione Presbyterorum.

§. II. Utrum hoc Sacramentum sit necessarium ad salutem?

Dico (Hic q. 84. art. 5. o.) Sacramentum Penitentia in re, vel in voto, saltem implicito, est necessarium ad salutem necessitate mediæ legis post Baptismum. Prob. 1. Ex Trid. sess. 14. c. 2. ubi sic legitur: *Sacramentum Penitentia lapsis post Baptismum ad salutem est necessarium, ut nondùm regeneratis ipse Baptismus;* atque Baptismus est nondùm regeneratus necessitate mediæ, ut ante dictum est: ergo. Prob. 2. (Ib.) Salus haberi non potest sine peccatorum remissione; peccata autem non possunt remitti nisi medio per Christum instituto; ipse enim principaliter peccata dimittit; atque Sacramentum Penitentia est unicum medium a Christo institutum remissionis peccatorum, post Baptismum commissorum: ergo. Prob. 3. Min. Quamvis per alia Sacramenta possent deleri peccata post Baptismum commissæ, ad id tamen neque per se concurrunt, sed per accidens, neque primariò sunt instituta, sed secundariò tantum; per se enim, & primariò instituta sunt ad causandam secundam gratiam, si que per se supponunt remissionem peccatorum; ut dictum est de Sacramentis in genere: ergo. Confir. Data sunt Ministris Ecclesie claves Regni Cælorum; hoc est, potestas remittendi, vel retinendi peccata in hoc Sacramento, ut patet ex §. præced. & ex Art. 1. hujus Dissert. pa-

patebitque ex alibi dicendis; atqui frustranea esset hæc potestas, si peccatores possent alia via reserere sibi fores Regni Cælorum, & obtinere remissionem peccatorum; quis enim tunc ad hoc Sacramento accederet? Imò nec possent in eo reiterari peccata, cum ibi retenta possent alia via remitti. Unde Aug. serm. 49. inter 50. nunc 392. *Agite, inquit, penitentiam, qualis in Ecclesia agit, ut vret pro vobis Ecclesia: nemo dicat: occultè ago, apud Deum ego: ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesie, frustramus Evangelium, frustramus verba Christi, promittimus vobis, quod illè negat.*

Dixi 1. In re, vel in voto: quia contritio perfecta extra Sacramentum, cum sit ultima dispositio ad gratiam, semper importat justificationem; non tamen sine voto Sacramenti in ea incluso. Unde Trid. sess. 14. c. 4. docet *Reconciliationem ipsam contritionem sine Sacramento voto, quod in illa includitur, non esse adscribandam.* Et idem, quamvis sit remissum peccatum per contritionem, remanet adhuc onus confessionis. Dixi 2. In voto saltem implicito, prout scilicet includitur in contritione perfecta, vel etiam aliquando in attritione, ut in casu Martyrii; istud namque sufficere videtur, cum possit contingere, quod quis elicit actum perfectæ contritionis, quod justificabit, absque eo quod cogitet de Confessione sive inadvertentia, aut oblivione naturali, sive ex ignorantia invincibili.

Si dicas: Votum implicitum aliorum Sacramentorum & præceptorum includitur etiam in contritione, & tamen ista non diouunt necessaria necessitate mediæ in voto, sed præcepti tantum: ergo. R. D. Ant. Votum implicitum aliorum præceptorum includitur etiam in contritione, & eodem modo, N. diverso modo, C. Disparitas est ergo, quod, cum Sacramentum Penitentia sit specialiter institutum, ut medium ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum, contritio, seu alter accessus justitiam, dicit intrinsecus ordinem ad illud, & dependentiam ab illo, etiam ejus vicarius; non sic de aliis Sacramentis & Præceptis propter oppositam rationem. Confer, que dixi de necessitate Baptismi Diss. 3. art. 1. Obj. 5.

Dices contra Conclusionem Ex necessitate hujus Sacramenti aggravatur jugum Christi, & fit gravior quam in veteri lege, in qua sine illo contritio sufficerebat. Item fuisse utilius fidelibus, & animarum saluti magis consultum, si pro libito ad istud Sacramentum accederent, quam si necessitarentur: ergo. R. ad 1. N. Ant. Est enim longè gravior & gravius posse cum sola attritione in hoc Sacramento justificari, quam sine illo cum perfecta contritione, quippe quæ multò difficilius habetur, quam attritio. Ad 2. Hoc Sacramentum non solum animarum salutem respicit, sed etiam honorem Dei in illo vindicandum. Insuper, si arbitrio fidelium esset commissum, vix aut ne vix illud frequenterant, ut jam observatum est. Denique fit conveniens, ut per aliquod signum exterius Religionis peccata post Baptismum commissæ remitterentur; sicut ante commissæ per ipsum Baptismum remittuntur, & in veteri Lege peccatum originale per Circumcisionem.

## §. III. Utrum hoc Sacramentum sit pluries iterabile?

Vidimus (Ib. art. 10. o.) Art. 1. hujus Diss. Novatianos docuisse, post primam penitentiam, quæ agitur in Baptismo, peccantem non posse per penitentiam iteratè restitui. Alii verò fuerant Hæretici, de quibus Aug. 1. de Penit. c. 5. qui dicebant, post Baptismum esse quidem utilem penitentiam, sed semel tantum. Contra quos

Dico. (Ib.) Sacramentum Penitentia est pluries iterabile. Ità docet Trid. sess. 14. cap. 2. dicens: *Antè hoc Tribunal tantum reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam, non semel, sed quotiès ab admissis peccatis ad ipsum penitentes confugerint, possint liberari.*

Prob. 1. (Ib. in art. 9. s. e.) Homo inducitur ad misericordiam exemplo divine misericordia, secundùm illud Luc. 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est;* atque Dominus hanc habet misericordiam Discipulis, ut sæpius remittant fratribus contra se peccantibus. Unde Matth. 18. quærenti Petro: *Quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? usque septies?* Dicit illi Jesus: *non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies:* ergo etiam Deus sæpius per penitentiam veniam peccantibus prebet, per gratiam cum docet nos petere: *Dimittite nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Prob. 2. (Ibid. o.) Everto fundamentum Hæreticorum.

Idem Hæretici; de quibus antè, negabant Penitentiam posse iterari, qui putabant adeò esse grave, quod admittit aliquis post veniam impetratam, quod non sit possibile ipsum remitti; atqui in hoc errabant dupliciter, & ex parte peccati, & ex parte infinite misericordie Dei: ex parte peccati, quia licet peccatum relapsis ratione ingratitude ingravescat, potest tamen ante impetratam veniam alia ratione esse gravior: ex parte infinite Dei misericordie, quæ superat omnem numerum; & magnitudinem peccatorum, secundùm illud Palm. 50. *Miserere mei Deus, secundùm magnum misericordiam tuam;* quod refertur ad gravitatem peccati: *Et secundùm multitudinem miserationum tuarum, quod spectat numerum peccatorum, dele iniquitatem meam:* unde reprobatur verbum Cui dicentis Genes. 4. *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear:* igitur misericordia Dei peccantibus per penitentiam veniam præbet sine termino. Hanc fidei veritatem multis testimoniis Scripturæ, & rationibus probat Soto in 4 q. 1. art. 10. Vide, si lubet.

Obj. 1. Apost. Hebr. 6. dicit: *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati... rursus renovari ad penitentiam:* ergo. R. (Ib. ad 1.) Ibi sermo non esse de Baptismo non iterando. Vide ampliorem explicationem art. 1. hujus Dissert. Obj. 2.

Obj. 2. Ambros. 1. 2. de Penit. c. 2. *Reperitur, inquit, qui sæpius agendam penitentiam putant, qui luxuriantur in Christo; nam, si verè in Christo penitentiam agerent, iterandam postea non putarent, quia, sicut unum est Baptisma, ita & unica est penitentia:* ergo. R. (Ibid. ad 2.) Ambrosius loquitur de Penitentia publica, & solemnè, quæ non iteratur, sive ad terrorem incutiendum, sive ad scandalum vitandum.

Obj. 3. Sanationes corporales, quas fecit Christus, significant sanationes spirituales; atqui non legitur, bis eundem resuscitasse, aut sanasse: ergo. Responder (Ibid. ad 3.) August. 1. de Penit. c. 5. quod idem non scribitur, aliquem nisi semel sanasse, ut quilibet timeat jungi peccato; multos tamen & cæcos, & claudos, & leprosos, & debiles diversis temporibus sanavit, ut significaret eidem peccata sæpe posse dimitti: *Medicum se vocat, & non sanis, sed male habentibus opportunum. Sed qualis sit hic medicus, qui malum iteratum nescires curare? Medicorum est infirmum centiès curare, qui ceteris minor esset, si aliis possibilibus ignoraret.*

Obj. 4. Greg. hom. 34. in Evang. *Penitentia, inquit, est anteacta peccata delere, & stendo iterum non committere.* Et Isidorus 1. 2. de summo bono: *Irrisor est & non penitens, qui adhuc agit, quod penitet:* ergo, qui verè penitet, non iterum peccat, atque adeò Penitentia non est iterabilis. R. D. Cons. (Ib. ad 4.) ergo, qui verè penitet, non iterum peccat, dùm actu penitet, C. Cons. postquam penituit, N. Cons. Igitur, ut dicit Greg. Penitentia est anteacta peccata delere, & tunc dùm flet; neque actu peccare, neque propositum habere peccandi. Ille enim esset irrisor & non penitens, ut dicit Isidorus, qui dùm actu conteritur, id agit, quod penitet, aut se facturum proponit, quod gessit, & cujus penitere videtur, aut aliud peccatum; sed quod etiam, semel postquam penituit, relabatur, non excludit, quin penitentia præterita fuerit vera; veritas enim prioris actus per subsequentem contrarium non excluditur. Sicut enim verè incurrit, qui postea sedet; ita potest verè penituisse, qui postea peccat. At, quamvis hæc verissima sint; attamen forsani illi Patres, ut observat Soto, voluerunt præterea docere genus quoddam irritationis esse quotidie penitere, & quotidie ad volubrum reverti; frequens enim relapsus iudicium quoddam est, propositum non fuisse legitimum, & firmum.

Obj. 5. Sicut Baptismus habet efficaciam a Passione Christi, ita Penitentia; atque Baptismus, qui fait unica mors Christi & passio, non iteratur: ergo nec Penitentia. R. N. Cons. Disparitas est, quod Baptismus habet virtutem a Passione Christi, sicut quædam generatio spiritualis, qua illic commemoratur Christo. Undè, sicut statutum est hominibus semel mori, ita & semel nasci. Sed Penitentia habet virtutem ex Passione Christi, ut quædam medicatio spiritualis, quæ frequenter iterari potest.

Obj. 6. Facilitas veniæ præbet incentiendum peccandi. Responsum est suprà Art. 1. id veram esse de facilitate indideret, non discretæ & prudenti. Addo ex Aug. c. 3. Hom. 27. inter 50. *Ne desperando augeamus peccata, propositum est Penitentia portus. Rursus, ne sperando augeamus, datus est discus mortis incertus.*